

3256.

JACOBI GISBERTI SAMUELIS VAN BREDA.

O R A T I O.

DE EDUCATIONE VERE LIBERALI, ET HISTORIAE NATURALIS STUDIO, INPRIMIS AD ILLAM CONDUCENTE.

PUBLICE DICTA

FRANEQUERAE.

DIE XVI OCTOBRIS MDCCCXVI.

CUM ORDINARIAM BOTANICES, CHEMIAE, PHARMACEUTICES &c. PROFESSIONEM, IN ATHENAEO FRISIACO, SOLENNI RITU AUSPICARETUR.



LEOVARDIAE,
Apud J. W. BROUWER, 1818.

ORATIO

DE EDUCATIONE VERE LIBERALI, ET HISTORIAE NATURALIS STUDIO, INPRIMIS AD ILLAM CONDUCENTE.



FRISIAE GUBERNATOR ILLUSTRISSIME!

ATHENAEI FRISIACI CURATORES, VIRI GRAVISSIMI!

MAGNIFICE RECTOR!

PROFESSOR HONORARIE! CETERIQUE ARTIUM ET DISCIPLINARUM PROFESSORES CELEBERRIMI!

CIVES, HOSPITES, QUICUNQUE AD HUNC ACTUM CELEBRANDUM CONFLUXISTIS, AUT MUNERUM DIGNITATE, AUT CULTU LITTERARUM, AUT ALIO QUOCUNQUE NOMINE INSIGNES, AUDITORES EXOPTATISSIMI!

TU DENIQUE LECTISSIMA JUVENTUTIS STUDIOSAE CORONA, NOSTRA DEHINC CURA, ATQUE, UT SPERO, GAUDIUM!



Intellectus humanus, Divinae certe originis, jure comparatur summo Imperanti, in abdito palatii sui recessu sceptra tenenti; varia per diversas palatii portas, sensibus acquiparandas, ad ipsius tronum accedunt; quae omnia, antequam admittantur, a judicio inter se sunt comparanda, in classes ordinanda et a larvâ, quam saepius induere, dissolvenda.

Nihil est in intellectu, nisi quod antea fuerit in sensu, qui sensus fallere nescius, passive tantum, uti palatii porta introitum, et ad interiora aditum concedit; cum a judicio pendeat, utrum rite proponantur intellectui, quae per sensus intravere.

Cum autem scientia rerum humanarum iis absolvatur, quae intellectus complectitur, facile patet, omnem etiam hanc rerum humanarum scientiam a sensu originem ducere: —— Et habemus hac in re consentientem summum Philosophum Verulamium, qui scientiam duplicem sortiri in-

informationem ſtatuit; alteram, quae inſpiratur Divinitus; alteram, quae a ſenſu oritur.

Quodſi rerum humanarum ſcientiam per ſenſus acquiramus, diverſa certe erit haec ſcientia pro diverſis, quae ſenſibus fuere exhibita. —— Et cum eodem paſſu progrediantur tum veri et pulcri ſcientia et cognitio, tum animi virtus, fortitudo et conſtantia, demonſtratione non indigebit; quanti momenti ſit, ut objecta bona, vera et clara ſenſibus exhibeantur; ſomnia contra, mala, fallacia et obſcura ab iis arceantur.

Hoc quod verum de omni aetate, inprimis valet de juvenili: --- Hac enim aetate organa, quibus praeſertim utitur intellectus, quam maxime vigent; et vi vitali, ut ita dicam, turgent; atque ad omnem ſenſationem recipiendam ſunt aptiſſima; cum contra aetate provectiori intellectus fere omnis ideis occupetur a ſenſationibus anterioribus ortis; quin et aditus ad intellectum hiſce, iisque ſimilibus conſuetudine tam facilis ſit redditus, ut earum turbâ, quâ ſemper intellectus occupetur, et cui recipiendae ſenſus noctes atque dies pateant, omnis novae ideae aditus

impediatur, ac viae per ſenſus plane occludantur. —— In aetate praeterea ſenili, omni corpore vivo in dies ad auctam firmitatem, ſiccitatem et immobilitatem tendente, organa intellectus primaria, ſtrictiora, minusque flexibilia ſunt reddita; eique ſtatui, in quo requiruntur, ut novam ſenſationem ſuscipiant, et in ideam propagent et extendant vix ſeſe adaptare poſſunt, ſtructura ſua illud impediente. --- Haud ſecus Codex chartaceus dextrorſum ſaepius convolutus, facillime ſecundum hanc directionem convolvitur, difficulter in contrarium hujus ſibi uſu et morâ naturalis directionis volvitur ſiniſtrorſum. ——— Haud ſecus etiam, ſi decantato liceat exemplo uti, arboris junioris rami in omnem ſenſum ab Hortulanis flectuntur, et ad fructus ferendos aptiores redduntur; aetate autem et morâ indurati omnem cultum reſpuunt, et prius diffringuntur, quam vel minimam patiantur incurvationem.

Conſuetudinis vis cum igitur tanta ſit, cumque conſuetudo illa, ſitne bona an mala, pendeat inprimis ab iis, quae ſenſibus exhibeantur aetate juvenili; et cum, ut Tullius ait, ſtudia in mores abeant, ſummi certe momenti

erit

erit illa ſenſibus exhibere, quae conſuetudinem in bonam partem convertunt, et pravam ab illâ arcent. —— Hac in re ars conſiſtit, quam educationis titulo comprehendere ſolemus, et quam nihil aliud esſe niſi a teneris annis imbibitam conſuetudinem ipſis verbis declaravit ſummus Verulamius.

Ad hanc educationem perficiendam certe omnes faciunt ſcientiae; quicquid enim humanae cognitionis amplitudinem adauget, ad ejus ambitum est referendum: --- ſunt tamen quaedam ſcientiae, quae huc vel in primis tendunt, et quae educationis quaſi ſunt fundamentum, imo ſine quibus educatio vere liberalis ne cogitari quidem potest: --- Inter has primum ſibi locum vindicare illam doctrinae humanae partem contendimus, quam generali nomine Hiſtoriam dicunt Naturalem.

Cum autem diei hujus ſolemnitas et officii mei ratio poſtulet, ut provinciam decreto et ſingulari in me benevolentiâ Regis Augustisſimi et Celſisſimi Guglielmi I mihi delatam aggrediar disſerendo de loco quodam a ſtudii genere, quod profiteor, haud alieno; nemini certe, qui ſecum reputat, disciplinas, quibus docen-

dis in hanc illustrissimam Musarum sedem sum evocatus, inter praecipuas, quas Historiae Naturalis ambitus complectitur, esse referendas, diversum videbitur a loco, a tempore, aut personâ, quam hic sustineo; si paullo altius, quantum liceat per breve horae spatium, inquiram in Educationis vere Liberalis indolem, et exponam, quantum ad illam perficiendam conducat Historiae Naturalis studium bene institutum.

Dicam igitur *de Educatione vere Liberali, et Historiae Naturalis studio inprimis ad illam conducente.*

Orator novitius, juvenis et imperitus vestram, A. O. benevolentiam quam maxime imploro, et ut aequis animis hunc rudem, atque omni orationis cultioris ornatu orbatum sermonem excipiatis etiam atque etiam rogo: --- Animum mihi quam maxime commoveri haud equidem negaverim, quum loci hujus dignitatem et sanctitatem respicio; quum mecum reputo, quot et quales Viri his ex rostris verba fecerint; et quod summum est, quum nomen illud illustre recordor, a Belgâ nunquam nisi cum summâ veneratione pronuntiandum, Petri nempe Camperi: -- Somniare illum existimassem, qui me locum occupaturum praedixisset, e quo aurea tot praecepta

ema-

emanavere; et nunc vocem faucibus haerere ſentio, quum quantus Ille fuerit, et quis ego ſim, conſidero. —— Certe ſi Immortales e ſede ſuâ coeleſti mortalium opera reſpiciunt, immortales nunc tui Manes, ſumme Campere! ſacrâ corripiuntur indignatione, me Tui plane indignum hic verba facientem intuiti. —— Posſitne forſan ſancti Manes! Vos mihi benevolos et faventes reconciliare, ubi publice me confitentem audiveritis, nullam mei ipſius meriti conſcientiam, nullam audaciam me huc conduxisſe; timore me perculſum plane esſe, ſi doctrinae meae perexiguam ſuppellectilem, et juvenilis ingenii vires conſiderem; et abunde mihi ſufficere, ſi disſerendo de Hiſtoriae Naturalis ſtudii praeſtantiâ foliolum posſem coronae civicae innectere, quam grata Poſteritas tibi bene de ſe merito ſummo jure decrevit; Tu enim Hiſtoriae Naturalis campum Tuis detectis adauxiſti; Tuâ induſtriâ Hiſtoriae Naturalis ſtudium in Patriâ noſtrâ inclaruit; Tua igitur res est, quae agitur; Tua igitur ſunt, quae vindico, et ſi deſint vires, tamen voluntas est laudanda. ——

Vos autem, A. O. rem ne dijudicetis pro meâ defenſione;

est enim inter illa, quae me nunc terrent, et metus, ne pravâ defenſione rei magis noceam, quam proſim; imo et obſtant, quae alioquin mihi in ſummis deliciis fuere; ſummos nempe me Viros pro Hiſtoriâ Naturali militantes audiviſſe; Blumenbachium, Lamarkium, Cuvierium, et inprimis Virum unicum, Brugmanſium, in hoc, uti in omni alio ſcientiarum genere eminentiſſimum: Quomodo enim Horum in dicendo peritiam, atque admirabilem copiam recordarer, neque ſimul meam inopiam et inperitiam mente volverem; neque ſimul dolerem, breve temporis intervallum, ut illorum Clariſſimorum Virorum ſcripta conſulerem mihi non conceſſiſſe.

Me nunc A. H. proprio, ſed debili pede progredientem favore et benevolentiâ proſequimini.

Magnum, quod inter Organismum animalem, et machinas humanâ operâ confectas intercedit diſcrimen in eo poſitum videtur, quod quidquid vitale ſit, continue progradu, quo vivit, commercium alat cum rebus externis, ab iis afficiatur, mutetur; et quod, ſublatâ hac cum rebus externis re-

la-

latione, vel ad vegetabilem organismum reducatur; cum contra machinae ceterae vi, quâ in actum deducuntur, nullo modo immutentur, et continue eodem modo agere pergant, quamdiu vis illa persistat, et nullum obstaculum ejus actioni opponatur. —— Horologium movetur, quamdiu elater tenditur, quaeque illud circumdant, nihil, nisi mechanismum destruant, ad hunc motum faciunt. — Machina animalis itidem movetur, quamdiu fluida et solida mixtionem normalem conservant; sed illa simul objectis externis afficitur, quae suâ vi et efficaciâ ipsam machinam evolvunt, mutant.

Intellectu nostro humano per hanc vitam terrestrem organismo animali necessario adfixo et ligato; si proposito, cui satisfaciendo hic adsumus, satisfacere velimus, omni conatu organismus hic est evolvendus, et ad altiora instruendus; Neque potest intellectus scopo suo respondere, nisi utrâque praesente hac conditione; primâ nempe, ut organa sint sana et bene constituta; alterâ, ut omnia conspirent, quae horum evolutioni et augmento favere possint. —— In primam conditionem moderandam nihil valet humana facultas; simul

cum vitâ et organa intellectui proxima a Creatore accipimus; altera autem, horum evolutio nempe, a Naturâ nobis fuit imposita. —— Vae illi, cui hanc evolutionem minoris aestimanti, donum illud praestantissimum et unice excellentiam humanam constituens, frustra fuerit concessum!

Qui unquam Physiologiae et Psychologiae studia uno vinculo complexus, intellectum humanum, ab ejus organis nunquam sejungendum, eâ attentione, quam res meretur, consideraverit, is certe hanc conclusionem recusare non potuit; humanum intellectum non agere, nisi organo quodam principali, materiali, partem organismi animalis constituente, interveniente; atque hoc organum neutiquam esse simplex, sed variis partibus sive organis minoribus conflatum, omnibus inter se ita diversis, ac sunt ipsa objecta, in quae horum organorum minorum actio sese extendit; immo horum unum quodque singularis objecti ideam capiendo ita esse adaptatum, ut hujus organi absentia absentiam itidem ideae illius objecti necesse involvat, et ut objectum qualecunque nullo modo illi, cui organum ipsi suscipiendo dicatum defuerit, innotescere possit.

Prae-

Praeterea, se ipsum perscrutatus Physiologus simul et Psychologus observat primo, unicuique organo proprium suum esse adjunctum nisum et impetum, quo ad agendum semper incitatur; dein, quod summi momenti est, omne organum, si huic impetui satisfiat, voluptatis existere fontem.

Omnia autem haec organa unita et intellectui proxima non ejusdem evolutionis sunt capacia, non eâdem efficaciâ sunt praedita, et fere dixerim, valde diversi in oeconomiâ animali sunt momenti. —— Sunt, quae homini soli propria nulli alii animantium fuere concessa; sunt, quae homo cum pluribus animalium speciebus communia habet; sunt tandem, quorum quasi primordia in homine tantum conspiciuntur, cum magis evoluta, perfectiora in aliis animalibus inveniantur; haud secus ac plura alia organa corporis humani, intellectui minus vicina, in homine multo minus evoluta, quam in aliis animalibus, adsunt.

Hinc derivandum, quod, dum ad stupendam altitudinem adscendentes contemplemur nonnullas mentis humanae facultates; aliae contra ex ephebis excesserint nunquam, ho-

mini mentis ſuae capacitatem indicantes; ſed ſimul organorum debilitatem et ſtatum minus evolutum demonſtrantes. —— Tot diverſa aperiuntur menti humanae regna, quot intellectui ſunt organa proxima; ſed omnia illa regna non aeque ſunt aperta: — in nonnullis objecta denſâ nebulâ involuta ſeſe offerunt; in haec penetrandi facultas videtur negata: —— alia vero et ab omni parte posſunt aggredi et peritius peragrari; in his omnia, quaecunque offendit, objecta menti clara et limpida adparent; et licet ſingulo pasſu limites regni magis a ſe ſemotos ſpectet, tamen quae ipſum circumdant, rite perſpicit, et ſcientia ipſi in dies augetur: -- Haud aliter ante Herſchelii et Schrôteri, ſummorum virorum labores in viâ lacteâ et nebuloſis, regnum quidem coeli nobis obſervandum patebat, ſed cujus objecta organi noſtri minus evoluti, vel minus bene adjuti aciem fugiebant, et confuſa adparebant; neque in albo per coeli plagas immenſas late diffuſo lumine, hac illuc interſperſâ ſtellâ majori, minorive candente, ullus materiem in ſtellas planetasque coälescentem ſuspicari potuit. --- Haud ſecus e contra hoc noſtro tempore, tubis opticis mirâ arte et induſtriâ per-

fec-

fectis, et visus efficaciâ hinc maxime adauctâ, coeli hoc regnum, nunc nobis apertum, Herschelii passibus insistentes paragramus; objecta dilucida, cognita, nebulis sepositis, contemplamur, et in coeli amplitudine fixarum et planetarum ex materie lucidâ per spatium late sparsâ formationi et condensationi praesentes adsumus; uti per sylvas in patriâ nostrâ obambulantes quotidie et arborum et herbarum incrementum praesentes intuemur.

Forsan hic cuidam in mentem venerit me rogare, cur alii prae alio organo tantae fuerint concessae praerogativae? -- Quamvis causarum finalium inquisitio sit sterilis, et tanquam virgo Deo dicata nihil pariat, attamen et huic deesse nolumus. —— Certe nemo, qui fatum coecum ad summi Numinis majestatem attollere nolit, contendere audebit, unice casu fortuito, et absque ullo ordine aliud prae alio organo praestantiâ fuisse donatum. —— Vita, quam vivimus, et locus, quam in rerum infinitate, tanquam annulus in viventium catenâ occupamus, accurate est determinatus, et procul omni dubio aeterno et immutabili, in omnibus luce meridianâ clarius elucenti ordini oppugnaret conjectura, intellectum et organismum humanum non ita esse fabre

factum, ut ſcopo ſuo optime ſatisfaciat; vinculum autem, quod hominem huic rerum ſeriei alligat, ipſum in plurium rerum contactu magis directo collocavit; imo ſunt objecta, quorum cognitio majoris momenti et magis directi est humano generi; atque procul dubio omnem noſtram attentionem meretur obſervatio, illa accurate organa ſummum perfectionis gradum videri attigisſe, quae concesſa fuere, ut perfecta objectorum utilisſimorum cognitio ad noſtrum intellectum accedat.

Quicquid vivit per totum regnum animale, ſecundum eundem typum conſtructum invenitur; eadem in omnibus adſunt organa; ſed omnium organa diverſe modificantur pro diverſo ſtatu, quem animalia in rerum creatarum magnâ ſerie occupant: —— Sic ad eundem typum oculi formati ſunt per omnem clasſem animalium columnâ vertebrarum inſtructorum: —— Noſtis tamen, A. oculos minimos, vix adparentes talpae nostrae vulgaris, fere ſemper in obſcuro ſub terrâ degentis; et vivit in Perſiâ animal, Aspalax dictum, ſub terrâ itidem degens, quod viſu plane orbatum, attamen adceterorum typum factum, veſtigio organi viſus munitur; licet

oculi

oculi illud primordium cute omnino ſit tectum, et proinde viſui omnino ineptum. —— Nullum organum exſiſtit, niſi quod per totum animalium regnum, eunden typum ſervat: Nonne artus anteriores, carpus, metacarpus et digiti, qui humanâ in manu ſubtilisſimi tactus ſunt ſedes, adplanati et membranâ ſolidâ involuti in Balaenâ obſervantur, cui impoſitum fuit vastâ ſuâ masſâ per maris abysſa penetrare? in longum porrecti in Camelopardalo, aridorum Africae deſertorum incolâ, atque ibi fronde arborum alte creſcentium pasto? levi plumâ tecti ac molli lanugine veſtiti in Aquilâ, quae aera findens ſupra nubes volatu adſcendit? -- Idem organum in diverſis animalibus diverſe modificatum fuit pro diverſo uſu, cui deſtinatum est. —— Illud quod de omnibus organis, quaecunque obſervare posſumus, verum; cur non itidem in organa illa altiora, intellectui magis vicina, ſed etiam materialia quadraret?

Unicuique organo proprium ſuum esſe junctum ad agendum impetum, jam diximus; ut et ſenſationem gratam ſingularem unius cujusque organi actionem ſequi ſolere: -- Haud ſecus ac ipſa organa, etiam hi impetus, hae gratae affectio-

nes

nes efficacià et valore inter ſe differre videntur; et, quae res est ſummi momenti, eandem inter ſe ſervare rationem, quae inter ipſa organa obſervatur. ——— Neque hoc caſu fortuito, A. H. ita fuit dispoſitum, ſed in hoc ſummi Numinis providentia miranda elucet; organa enim maxime necesſaria ſummo etiam impetu in actum feruntur, et maxima, ſuavisſima voluptas eorum actionem comitatur, ita ut vel ipſa haec voluptas novus fiat ſtimulus, quo de novo in actum concitentur organa.

Omnes autem hi a diverſis organis orti impetus confluunt in unum quaſi et magnum impetum, quo mens humana haec magnâ vi appetat, iſta contra vehementer deteſtetur; conſtituitque ille organorum et impetuum concurſus et mutuus illorum nexus et proportio illud, quod indolem mentis humanae dicere ſolemus; Quin et confestim hominis indoles mutaretur, ſi facultatum ab hiſce organis profluentium vel numerus, vel earum mutua proportio mutata exiſteret. —— Summa igitur adfectuum, de quibus dicimus, cujuscunque individui genium dominantem componit; vel aliis verbis: affectus principales nihil aliud ſunt, niſi ſumma

in-

incitationum a diverſis organis ſimul ſumtis motarum; tandem ſumma voluptatum actionem cujuscunque organi comitantium gradum determinat beatitudinis, cujus mens humana est capax. —— Hinc est, A. H. quod diverſa omnes adpetentes videamus, cum diverſa ſit in variis individuis organorum evolutio; diverſus impetus, quo in actum deducantur; diverſa voluptas, quae uniuscujusque actionem comitetur. —— Nec est, quod magis huic rei inſistam; Nihil aliud enim expono, niſi tritum hoc, ſed verisſimum proverbium: -- Trahere ſuam quemque voluptatem.

Parumper potius retroſpiciamus, et brevibus verbis complectemur ſummam eorum, quae huc usque expoſuimus.

Intellectus humanus in hac ſaltem vitâ terreſtri organismo animali necesſario ligatus est. —— In organismo animali párs exiſtit, quae magis immediatum et princeps est intellectus organum, et quae est quaſi conditio facultatum intellectualium primaria: organon hoc princeps dispeſcitur in multa organa minora, quae diverſis mentis facultatibus respondent, et quorum unum quodque uniuscujusque facultatis est conditio necesſaria. —— Sunt haec organa diverſi

momenti, et diverſae, ut ita dicam; evolutionis; evolvuntur autem actione objectorum externorum et continuo actu. —— Singulis organis ſingularis est impetus, quo ad agendum incitantur, et ſingularis quoque voluptas uniuscujusque organi actionem comitatur. Est autem hic impetus, haec voluptas major, prouti organum, cujus est, magis ſit evolutum, et proinde majoris ſit momenti; ſunt enim haec organa magis evoluta, magis perfecta, quae majoris ſunt in oeconomiâ humanâ momenti.

Haec, A. H. ſi accurate perpenderitis, ad hanc concluſionem nos perductos mecum judicabitis: -- Educationem nempe intellectus abſolvi educatione ſingulorum organorum, quae ſimul ſumta totum illud formant, quod primarium est intellectus organon. —— Natura ipſa, objectis continue unicuique organo exhibitis, intellectum educat; noſtrum est Naturam, quantum fieri posſit, adjuvare. -- Fiat autem hoc liberaliter necesſe est; nam liberaliter factum est illud, quod libere, Naturâ indicante, ſponte ſuâ et absque ullâ vi fiat; et est illa educatio vere liberalis, quae ducem Naturam ſecuta liberae intellectus evolutioni proſpicit, et omnem vim ab intellectu arcet.

Non

Non necesſe certe, ut magnum hujus educationis liberalis exponam momentum, non tantum, ut ita dicam, individuale, ſed univerſo generi humano maxime ponderoſum. --- Neminem enim veſtrum, A. H. fugit, ut opinor, facultates culturâ organorum acquiſitas a parentibus in filios migrare; et filios naſci organis illis magis evolutis, quae parentes magis exercere ſolebant, atque ita eadem, quae individuis emolumento ſunt, etiam in commodum omnium verti; et eadem, quae individuorum ſaluti proſpiciunt, univerſi etiam generis humani excellentiam promovere. --- Quis hoc loco memoriâ non repetit vulgatum illud et celebre Horatii effatum.

„ *Fortes Creantur fortibus et bonis:*
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam.
Doctrina ſed vim promovet inſitam,
Rectique cultus pectora roborant.

Neque quemquam fugit, organa contra omnia, quae quieti traduntur, languefcere, perire et abforberi, atque etiam generationis viâ haec organa diminuta a parentibus in liberos transferri, ita ut hoc modo in genere humano vel ad veftigia usque, organa omnia, in primis autem intellectualia posfint deleri. —— Innumera hujus rei proftant exempla, quae breve mihi ad dicendum concesfum horae fpatium adferre vetat. —— Nullus Eques de quorundam equorum generis nobilitate dubitat; Nullus Venator, qui praeftans canis venatici genus non ab omni alio facile diftinguit. -- In variis mufaeis brachia, pedes humani, et quadrupedum, alae avium fervantur, quorum ufus per vitam animalis, cujus fuere, variis caufis impeditus fuit; et quae hinc magnitudine et vigore quam maxime imminuta obfervantur. -- Cibo tenui et parvo utenti tractus inteftinalis imminutus fuit obfervatus. Et quis ofteologiae peritus, qui non miratus fit occiput eunuchi adplanatum diminutione organi illius cerebralis, cujuscum evolutione facultas generandi cohaeret? Nonne plerumque noftrum brachium finiftrum dextero minus robustum, minus agile habemus, et minoris voluminis; unde vel dexteritas in

pro-

proverbium abiit? Quis tandem, qui anates domeſticas vix amplius volantes cum ceterarum anatum gregibus multum volantibus comparaverit, negabit, organum rariſſime in actum concitatum, et per plures progenies quieſcens adeo imminui, ut quaſi novum exiſtat genus, quod organo illo uti plane nequaeat?

Sed nemo in dubium vocat, quin educatio liberalis omni non tantum individuo, ſed et toti humano generi valde conducat. —— Quomodo autem educatio haec est inſtituenda, ut vere liberalis ſit? Procul dubio illius, qui educationi ſe vovet, est omnes mentis facultates indagare, et omnem operam in illud impendere, ut faveat tantum uniuscujusque organi evolutioni, quantum hocce organum evolutionis ſit capax. —— Hoc modo inſtituta ſcopo ſuo reſpondebit educatio; nam ſic nullum organum fruſtra tenditur, aut ad opus, cui minus aptum est, cogitur; illud ſolummodo, quod Natura formandis variis organis, ipſisque variam augmentum capiendi facultatem concedendo indicavit, ſic efficitur: -- Hoc modo non haec, non illa facultas prae aliis colitur, neque hoc vel illud, magis excultum organum alio, quod certe Creator homini non fruſtra conceſſit, deprimitur, neque ullum tamen negligitur.

 Sum-

Summi Creatoris consiliis respondet, hominem summâ beatitudine gaudere; unde providum illud et sapientissimum Numen humanam beatitudinem cum facultatum humanarum exercitio nexu immutabili conjunxit; omnis igitur facultas, quam in puero somno sepultam retineas, seriei sensationum gratarum respondet, quam ipsi subripis; et omnis facultas, quam nimium incitas, tensionis nimiae sensationem ingratam ipsi parit, ac intellectui ipsius vim infert: —— Hoc proinde tibi sit continue propositum, ut mentis humanae continuam agitationem ita moderetis, ut omnes facultates intellectuales, absque ullo discrimine, nunc hae, nunc illae, vicissim omnes sint activae, et ut nunquam nimia quaedam tensio ullum organum vexet.

Norma igitur generalis, quam in educatione vere liberali instituendâ sequi debemus, a nobis constituta est; et, ni vehementer fallor, Vobis, A. H. clare adparuit, omnes mentis facultates, earum proportionem reciprocam, et evolutionem, cujus sunt capaces, esse bene cognoscendas. —— Sed quis celebre illud et famosum: Nosce Te ipsum, ita perspexit, ut omnes facultates enumerare et distinguere, atque

omni

omni facultati ſuum numerum adſignare valeat? —— Lubenter fateor, haec mihi non tantum difficillima, ſed et in hoc rerum ſtatu impoſſibilia videri; pendet tamen ab his directe omnis educatio; neque, ſi haec cognoſci nequaeant, a priori educationis liberalis ratio conſtitui potest. --- Et certe de hac ratione a priori quidpiam determinare, nobis huc usque conceſſum non fuit; ſi unicum illud excipiatis; conducere in culturâ intellectus, quod et conducit in corporis ſanitatem muniendam, potius nimium quidpiam naturae relinquere, quam nimium illam concitare. --- Hic autem auxilio nobis venit experientia, optima illa magiſtra, adquam ſemper in omni re nobis est confugiendum.

Per omne regnum animale felicitatis ſtudio incitata videmus omnia animantia, et ſimul obſervamus, animal omne animi ſui coeco impetui obtemperando et plane indulgendo, ad illud accurate perduci, quod ipſi, ut perfecte felicem vitam degeret, faciendum a maxime ſeveris rationis praeceptis, et ingenii ſubtiliſſimi molimine fuiſſet praeſcribendum. Nihil in rerum naturâ, quod non perfectiſſimum et ſapientiſſime ordinatum; idem ille impetus, quo animal ad vitam

fe-

felicem veluti cogitur, ad ſalutem publicam conſervandam et augendam nititur. --- Sed quis tantâ audaciâ est, ut Divinam ſapientiam et Providentiam adgrediatur, et inſanâ mente contendat, hominem, qui certe ad eundem, ac animalia, typum formatus est, iisdem agitatum organis, non uti reliqua animalia felicitatem ſuam et ſalutem ſimul publicam promoturum, ſi animi ſui impetum ſequatur? Quis mentis est ita perverſae, ut ipſi imponant miſerrimae certe ſequelae animi impetus factitii, et confectationis voluptatis imaginariae? Nemo certe, et A. H. ſummam injuriam inferrem Veſtrae Dei benevoli et providi fiduciae, ſi Vobis hanc legem ubique valere demonſtrare cupiens, necesſe ducerem indicare, quantum quaſi inſtinctu reguntur omnes illae actiones, quae ad utramque illam principalem humanae felicitatis conditionem, nempe noſtri ipſius conſervationem, et ſpeciei noſtrae integritatem faciunt. —— Procul dubio omnes conſentimus, homines etiam inſtinctu ſuo, ſi hic ſaltem pravâ educatione non ſit corruptus, ad ſui ipſorum felicitatem incitari vi non reſiſtendâ: —— Ast ſic educationem, quae ſemper in hominum felicitatem nititur, in impe-

rium

rium experientiae translatum videmus; posſumus enim facile obſervare, quorſum inprimis homines inſtinctu ſuo ferantur, et quaenam praeſertim objecta homini ſint accepta: --- Illa certe, quae menti humanae ſunt gratisſima, facultatum etiam evolutioni maxime proſpicient; illa certe erunt utilisſima; illa ne deficiant, inprimis attendat, qui educationi praeſit. —— Quaenam autem ſunt, ad quae inprimis mentis impetus vergit? ---- Sunt, ut mox huic quaestioni reſpondeam, niſi egregie fallor, omnia illa, quae in univerſum naturae ſtudium complectitur. ——— Haec ſunt, quae continue per omne vitae curriculum hominem, pravâ educatione non corruptum ad ſe trahunt, et magnâ voluptate afficiunt; haec ſunt, quae pueritiam occupant, quae aetatem virilem alunt; quae ſenectutem delectant: --- Quantopere enim differat et genius et indoles humana, in naturae tamen ſtudio omnes ſolatium quaerentes per omnem aetatem obſervamus. ——— Quid ſenſibus in pueritiâ objectum est praeter naturam? Nonne metallorum et ſimilium ſplendor omnium primus animi infantilis attentionem movet? Saepius certe, A. H. pueros vidistis

in pulcre coloratos papiliones venatum inſtituentes; ſaepius quoque puellas plantas colentes molles et odoratas; vel teneram avem ſinu foventes. — Vix ullum incrementum coepere animi infantilis facultates, quin vel rudioris obſervatoris in oculos incurrat, quam inſatiabili nova inveſtigandi ardore ferantur pueri, et quomodo fere ſemper objectis in naturâ obviis hicce ardor incitetur: — Vel nos rogant, quomodo ex ovo fiat pullus, vel, quâ vi incognitâ e tenui grano ingens creſcat arbor; et inter vulgares quaestiones pueriles vix ullae ſunt, quae non ad objecta naturae cognoſcenda tendunt.

In puero igitur naturae ſtudium tanquam educationis fundamentum quaſi digito indicatur; in illo certe, quamdiu nullâ voluptatis memoriâ moveatur, nihil agit praeter coecum illum impetum, quo ad felicitatis ſtudium impellitur, et qui e variorum organorum concurſu originem ducit.

At quae puerorum animum occupare obſervamus, natu majorum, virorum mentes formatas exercere non merentur; forſan mutabitur organorum complexus, et hiſce mutatis ad aliud ſtudium incitabuntur viri adulti. — Minime gentium, A. H., ſi in ullâ re, in hac certe ſtudii naturae

turae appetentiâ per omnem vitam immutati perſeveramus. -- Videtur natura aequali paſſu cum facultatibus noſtris procedere, ita ut objecta numero majori intellectui obſerantur, quo magis ejus facultates fuerint extenſae. --- Poëtae ingenio luxurioſo aeque ac Philoſophi ingenio ad maxime ſeria ſtudia facto materiem praebet natura inexhaustam: --- Poſſem hic citare et Statuarios, et Pictores, et qui inprimis pulcri et ſublimis ſenſu agitantur, Poëtas; omnes uno ore confitentes, illam mentis ecſtaſin, quae ipſis ſumma est beatitudo, in illis non niſi naturâ provocari, hic formoſiſſimâ, illic terribili. --- Nonne Divinum illud, quod in Apolline, ſtatuâ maxime perfectâ aevi florentisſimi veneramur; Nonne molle illud quod in Venere Mediceâ amamus; Formoſum illud, quod in Puellâ illâ famoſisſimâ talis ludente miramur, naturae perfectae imitationi perfectae debetur? --- Natura ex Raphaëlis, ſummi pictoris, virginibus ſacris ſpirat: ---- Natura in mollibus a Guido Rheni pictis Nymphis ridet: —— Naturae perfecta imitatio ad Potteri noſtri famoſisſimum taurum, quamvis medias inter tabulas principum pictorum poſitum in vastisſimo,

 quod

quod unquam exſtitit, muſaeo, omnes cogere ſolebat omnium ordinum ſpectatores. —— Natura ſola pulcri et ſublimis ſenſui materiem praebet plenisſimam; neque tantum ſublimis et pulcri ſenſum movet, ſed et intellectus acumen incitat, et Philoſophi ſerie meditantis animum natura replet, nullâ facultate intellectuali exceptâ, omnes in actum ducens; --- Sagacisſima ingenia naturâ omnino occupata conſpicimus; immobiles quaſi et in naturâ, ut ita dicam, abſorptos invenimus principes omnis aevi Philoſophos, nihil cetera curantes, et unice de magnis, quibus univerſum regitur, legibus ſollicitos: —— Natura enim non tantum corporum formas et ſeriem inviolabilem Philoſophorum ſeriae meditationi offert; ſed omnia vivunt, omnia moventur, omnia conſervantur. Quaenam ſunt vires hos motus producentes? Quaenam leges illos regentes? Quomodo tandem omnia ad omnium conſervationem conſpirant? Velum, quo haec ſua ſacra obtexit natura detrahere: —— En quod tot et tantorum Philoſophorum meditationibus per ſecula materiem praebuit, et in aeternum praebebit ſemper. --- Philoſopho non tantum incumbit,

na-

naturae objecta enumerare; ſed mathematicarum disciplinarum ſtudio adjutus, quae ipſi ſunt tanquam filum Ariadneum, quo tuto per ſcientiarum labyrinthum oberrat, penetrabit in naturae arcana maxime abdita; quae ipſa detecta iterum illius ſunt indolis, ut multo validius, quam ipſa objecta hominum animos in pulcri, et praeſertim ſublimis ſenſum rapiant. --- Vultisne exempla? --- Innumera proſtant; Omnium certe animos percellit ſublimis montium adſpectus, hic e nucleo telluris nubes petentium, et aeternâ nive tectorum; ibi aut ſtratis ſibi impoſitis formatorum, aut columnas aemulantium, nonnunquam cineres, flammas ac globos candentes evomentium, terrae motuum et devaſtationum qui ſunt et foci et centra: --- Aſt quanto magis percellunt Philoſophi animum ordo et conſenſus, qui in omni hocce tremendo tumultu et elementorum agitatione eminet. --- Geologia ipſi librum naturae aperit, in quo telluris hiſtoriam antiquiſſimam legit. --- Vetuſtiſſimo aevo globum noſtrum ab omni parte oceani aquis involutum cernit, et fere liquidum; poſtea longe, lateque diffuſis montium ignivomorum catenis tectum, ſed continue magis quietum redditum, magis adplana-

tum, et animalium ſpeciebus magis habitabilem.

Omnium certe animos placidi et quieti maris, velis ubicunque tecti, adſpectus ſuaviter affecit; omnes etiam ſublimis et horrendus oceani, ventis agitati, turbidi et mugientis conſpectus terruit; ſed haec ſenſatio comparari nullo modo poteſt cum eâ Philoſophi, qui mentis humanae altitudine et ſummi Numinis clementiâ elatus maris agitati ſublime ſpectaculum contemplatur, calculo mathematico et aſtronomico certior factus de mundi ſtabilitate, et de limitibus, quos mare transgredi nequaeat; certior factus, undas oceani pondere ſuo ſpecifico, ad illam telluris relato, impediri, quo minus vel aeſtu maris vel procellis ſupra terras iterum effundantur.

Nemo tandem, qui animo vel parum ſenſibili praeditus eſt, niſi cum admiratione placidâ nocte ad ſidera tulit vultus, et ſtellas determinato ordine diſpoſitas, lumine vario per ſecula micantes conſpexit; ſed idem illud coelum per multa ſecula tot et tantorum Philoſophorum ingenia ſummâ admiratione replevit: —— Et quid ſublimius cogitari poteſt, quam ſumma illa et divina ſapientia, quae in

dis-

dispoſitione et motibus ſystematis nostri planetarii eminet; quid dignius quo ſumma ingenia attrahantur, quam ſystematis hujus illa ſtabilitas, quae nostro tandem aevo inclaruit, docentibus ſummis Philoſophis Lagrangio et Laplacio, calculo mathematico adhibito fallere neſcio, omnes omnino motus coelestes certis et determinatis periodis esſe adfixos: —— Quid ſublimius humanam mentem movere unquam poterit?

Quis negabit deliciis abundare ſtudium naturae, qui omnis aevi historiam perlegens, fere omnes in omni disciplinarum genere excellentes viros naturae ſtudio incumbentes invenerit? Quantus est eorum numerus, qui toti ſe ei dederunt? Quam exiguus contra eorum, qui illius plane ignari fuere? Caſu fortuito illud ita accidere non potuit. --- Minime A. H., ſed historia nos docet cauſam certam exiſtere, quae non tantum humano intellectui ſtudium naturae gratum reddat, ſed omnibus ceteris ſtudiis multo gratius; estque haec cauſa necesſario ſita in facultatibus humanis ſtudio naturae adaptatis; et ſummo jure ſtatuere posſumus, ipſam experientiam docere, omnem facultatem

hu-

humanam in naturae ſtudio ſuum proprium, cui capiendo factum est, invenire objectum. —— Quomodo, ſi hac de re dubitandum foret, explicaremus inſatiabile illud ſummorum virorum deſiderium objecta naturalia examinandi, et comparandi? —— Nullâ aliâ cauſâ impelluntur ad objecta haec magnâ operâ et curâ colligenda et ordine disponenda, niſi ſtudii naturae deliciis, niſi eâdem illâ naturam contemplandi cupidine, quae historiae naturalis cultores a placidis et tranquillis ſuis muſaeis ſemotos per omnes telluris plagas, per omnes oceanos dispergit, nullâ periculorum et vitae discriminis ratione habitâ. —— Non opus est diverſarum gentium historiam evolvere, quae nobis ſummos viros naturae ſtudio omnino devotos indicet. —— Gloriatur et nostrum aevum pluribus, ingenii dotibus maxime eminentibus, qui illi plane ſunt deditì, et illo prae ceteris omnibus delectantur. —— Gloriatur aevum nostrum Perone Gallo, qui ex Oceani pacifici Auſtralicis inſulis in patriam ſuam vix redux, medias inter immenſas opes, quas ex incultis et incognitis hiſce regionibus domum adportaverat, inopinatâ morte ſcientiis fuit ereptus. -- Gloriatur von Buchio,

Ger-

Germano, qui ad ultimos fines Mundi septentrionalis delatus Norwegiae et Lapponiae montium catenas geologiae descripsit; Gloriatur celeberrimo illo viatore, cujus nomen est in omnium ore, Humboldtio, qui cum amico Bonplandio Aequatoriâs regiones pervagatus, et altissimis montium cacuminibus conscensis, tot et tanta in Historiâ Naturali detexit, ut difficile sit uni tantum Doctorum pari haec omnia tribuere. Neque viatoribus tantum hisce celebrioribus Historiae Naturalis fines extensos debemus; sed gloriatur inter multos alios Germania Blumenbachio, qui ex unâ stirpe oriri potuisse demonstravit omnes Gentes; Gallia Cuvierio, acutissimo mundi antiquissimi annalium investigatore; Viris, qui vitam omnem Historiae Naturalis cultui dedicarunt; —— Nec deest gloriandi materies Patriae nostrae; vel unicum nominasse sufficiet Brugmansium, Virum summum, Patriae decus, qui ad omnes artes liberales aptus, Naturae tamen studio inprimis delectatur, et in museo suo ditissimo Naturae arcana posse investigare praesertim gaudet; Virum, cujus de naturae studio merita hic indicare et ipsius modestia, et vetat,

quod inter Doctorem est et discipulum, magnum intervallum. Quum autem vidimus illud ſtudium, quod quam maxime nostram felicitatem promoveat, esſe eligendum pro baſi educationis liberalis; et quum analogia indicat, omnes omnino a puero ad ingenium acerrimum illud appetere, quod ipſos quam maxime felices reddat; quum tandem experientia docet, omnes naturae ſtudio inprimis delectari, valet concluſio; Naturae ſtudium pro baſi educationis liberalis esſe eligendum.

Mirandum certe hanc veritatem, quae vicinis Gentibus, Germanis et Gallis diu fuit accepta, apud Nos Belgas vix innotuisſe. —— Sunt quidem plurimi inter nos, qui naturae ſtudium ſingulis oblectamentum judicant; pauci autem qui univerſae ſocietati illud utile exſtimant. --- Liceat ab eventu et hanc rem dijudicare: —— Quantum distant Europae incolae, qui anno 1456, publicis precibus iram Divinam longâ Cometae caudâ demonſtratam deprecari conabantur ab iisdem naturae ſtudio edoctis, qui eundem Cometam ad Solem redeuntem tranquille obſervarunt. —— Est ne naturae ſtudio magis cognita terrarum indoles et atmospherae conſtitutio, quo facto multa millia jugera, ante inculta, nunc

ce-

cerealibus et vite abundant? —— Quis, nisi qui ad naturae arcana penetraverit, atmospherae mutationes praesagire, et in calendario dies aestus maximi notare potuisset? Nonne omnes fere artes ab animalium industriâ desumtas docet historia naturalis? --- Caudâ per aquas moventur pisces; uti naves nostrae remo, Pinna ipsis est, quod navi nostrae gubernaculum: —— Vela tendunt et per mare navigant plures Molluscorum species, haud aliter ac naves nostrae per oceanum currunt. --- Impediant Gentium ambitio et rixae, quo minus coloniarum producta ad nos transferantur: Praesto est historia naturalis: e cellis subterraneis nitrum effodit; e Betâ saccharum conficit; indigenarum plantarum principium colorans emendat et ad praestantiam coloris Indici evehit. --- Sileant detrectatores laudum studii naturae. --- Vix ulla sunt societatis humanae praerogativa praeter ea, quae ipsi naturae indagatione accessere; et ab hac parte spectatum meretur itidem naturae studium basis omnis educationis vere liberalis vocari. --- Vix opus erit, ut addam hisce, naturae studium necessario ab historiae naturalis studio proficisci; et hanc igitur principem esse omnis educationis li-

beralis basin. Verulamium audiatis; sunt, ait, scientiae instar Pyramidum, quibus Historia et Experientia tanquam basis unica substernuntur; ac proinde basis Naturalis Philosophiae est Historia Naturalis; tabulatum primum a basi est Physica, vertici proximum Metaphysica; --- quod ultimum tabulatum; liceat haec Viri illustris verbis addere; per nubes penetrat, et oculo humano fere semper latet.

Indagandum hoc loco, A. H. mihi foret, quibusnam praecipue partibus historiae naturalis indigeat educatio liberalis; licet enim, uti Cicero ait, omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, quoddam commune vinculum habeant, et quasi cognatione quâdem inter se contineantur, attamen tam vastus est naturae campus, ut cogamur statu sociali, in quo vivimus, et qui reverâ, diffiteri illud nolumus, status est, ut ita dicam, semicoactus; quasdam hujus regiones seligere et prae ceteris excolere. --- Dum ad educationum perfecte liberalem, ad quam omnes scientiae pertinent; in statu sociali attingere non valeamus, ad illam tamen quantum in nobis est videtur accedendum, seligendo principes studii naturae partes. --- Locus hic foret disserendi de

variis hifce fcientiis, easque in clasfes distinguendi, illis primam partem conferentes, quae cognitae majorem naturae amplitudinem aperiunt menti humanae. —— Sed tempero mihi, et ne diutius patientiâ vestrâ, A. H. abutar, ad illa accedo, quae diei hujus folemnitas et officii mei ratio a me postulant. —— Sufficit mihi demonftrasfe historiae naturalis ftudium ad educationem liberalem praefertim defiderari; Estque mihi pergratum, eadem illa, quae nunc tempus enucleare vetat, ob temporum, quae vivimus, rationem filentio praetermitti posfe: est enim aevi nostri characterifticum, varias disciplinarum naturalium partes ad fcientiae dignitatem evectas ad fe invicem magis accedere; ita ut hiatus inter illas quotidie minuantur, et ut tempus appropinquare videatur, quo unum continuum fijstema fint formaturae, quod univerfam naturam, ubicunque pateat, complectatur. —— Hocce profpectu animo quam maxime exhilarato, eo lubentius accedit venerabunda Oratio ad illa, quae folennitas haec et gratus animus mihi imponunt officia.

Regi enim Augustisfimo, Belgarum Patri, grato animo

ac-

acceptum referunt omnes ſcientiarum cultores, quod ſimul ac frena imperii capesſebat, ſuo patrocinio ſcientias atque artes foverit; quae, magnâ gentium Europaearum parte ſub unius omnia pro lubitu gerentis tyrannide languefcente, neglectae miſerrime jacebant.

Regis in ſcientias amorem et naturalem proclivitatem, quâ incitatur ad diverſas disciplinarum naturalium partes erigere et ad invicem adproximare testantur illa e cineribus reſuſcitata ſcientiarum monumenta, quorum magnam utilitatem vel ſeculorum experientia demonſtraverat. Almae ipſius voluntati debetur, Templum hocce Muſarum celeberrimum de novo artium cultoribus ſtare apertum:---Atque hoc mihi pergratum et inprimis acceptum, me ad munus, quod in praeſens ſuscipio, vocatum sſe a tali ac tanto Principe, cujus amplis honorificisque titulis nomen reſtauratoris artium et ſcientiarum grata posteritas quoque adjunctura ſit. —— Utinam Deus Optimus, Maximus ſervet te, Rex Augustisſime et tuam Domum per longam annorum ſeriem ſalvam et incolumem.

Vobis autem Viri gravisſimi, hujus Athenaei Curatores,

Mae-

Maecenates de me tam egregie meriti, Vobis, inquam, sinceram gratae mentis testificationem offero; Vobis maxime debeo, quod a Rege in antiquam hanc doctrinae sedem delatus sim; Vos mihi advenae hanc plagam pedem figenti serenâ fronte obviam ivistis; et inter Vos esse virum, non solum haeredem avitae gloriae atque eruditionis, sed et ipsum suâ peritia fines scientiarum extendentem, virum egregium atque excellentem in illis scientiis, quae mihi carissimae semper fuerunt, hoc vel inprimis me movit, ut provinciam hanc susciperem mihi gravissimam; Re vera enim summus rerum moderator nulli mortalium dulcedinem sine amarore intermixtam largitus est, et quid mihi acerbius contingere potuit, quam secedere a patre carissimo, quem ex decliviore aetate desiderium filii eo gravius premit? quid minus ferendum; quam urbem relinquere, per multos annos dilectam sedem, ubi tot amoena percepi, toties me totum studiis dedi, cujus grata recordatio mihi tot ac tanta in mentem revocat? quid denique gravius, quam remotum esse ab amicis? testor hic unumquemque, qui sincerae amicitiae dulcedinem sensit, et quis unquam

ta-

talem, qualem ego, amicum invenit? eadem ſtudia nos de vinxere, eadem vivendi ratio, iidem luſus, eadem feriae, haec nullis taediis, nullis unquam disſidiis interrupta fides animos certioribus quam fraterni amoris vinculis conjunxit. Vos Viri clarisſimi, collegae honoratisſimi, has mihi jacturas, quantum fieri posſit, estis compenſaturi; neque tamen ſine metu quodam ad Vos me converto, ubi meam imperitiam cum cognitâ vestrâ eruditione comparaverim, at recreat mentem mecum reputare, quânam benevolentiâ, quam comiter me excepistis.---Vestram itaque opem et fidem obnixe imploro; vestram fiduciam mereri mihi gratisſimum erit; conjunctis viribus atque animis, uti fas est inter amicos et artium liberalium cultores, in commune bonum, atque incrementum illustris hujus Athenaei laborare, mihi ſummo honori erit. --- Adſpiret benigne Numen optimum vestris et meis conatibus, et percipiet magnam ex illis utilitatem juventutis Friſiacae corona lectisſima.

Vobis nobilisſimi juvenes, devota Muſis pectora, ſpes Patriae et Parentum, nostra cura atque deliciae; illa ſtudia accepta posſe reddere, quae mihi inprimis in deliciis ſunt, ſum-

ſumma mihi voluptas erit.

Amicus et comes vobiscum per florida ſcientiarum prata incedere deſidero: ſive Chemicas, ſive Botanicas meas ſcolas frequentare velitis, ſive Hiſtoriam Naturalem audire cupiatis; ubicunque poſſum; ubivis me vobis benevolum ducem et candidum amicum offero; Quidquid in me est ad vestra incepta progreſſusque adjuvandos, id omne vestrum putetis. Agite! unanimes et amici Philoſophiam excolamus, quae nos ad grandia quaevis extollit, dulcemque beatitatis ſenſum concedit, noſtraque amicitia commodis hujus Athenaei, atque ſcientarum incremento ſemper inſerviat: Quod faxit Deus Optimus, Maximus.

D I X I.

